

**MEDITATIO
SANCTISSIMI
ROSARII VITAM &
PASSIONEM IESU
CHRISTI...**

Johann Landsperger






*Ætherei cecidisse sinu folioque parentis
Me ne vides, spinis ut rosa pulchra darent?
Cernite mortales: sentes superate dolorum;
Perpetuo ut vobis flagret odore rosa.*



SANCTISSIMO PATRI
SIXTO QVINTO
PONT. MAX.

Salutem & perpetuam
felicitatem.



 *Vanta pietatis ac religionis propagatio, Pater Beatissime, sanctissimi Rosarij beneficio & facta sit & quotidie fiat: paullo altius cogitanti mihi de te, idest de maiestate illa diuina, quam ipse nobis in terris refers, tuo in primis vti posse videor grauissimo testimonio. quis enim neget ab hac te sacrosancta planta quasi ramum florentissimum*

pullulasse? etenim tibi Deus Opt. Max.
per Pium Quintum, (quem mortuum
& apud nos viuere adhuc amplissima
rerum gestarum memoria, & aeuo illo
frui sempiterno possumus confirmare)
ad soliũ te prouehi voluit, in quo loca-
tus orbem terrarum tamquam Sol al-
ter illustras: vt, quoniam eodem tem-
pore viri sanctissimi Dominicus, &
Franciscus duo Ecclesiae lumina &
ornamenta floruerunt, ipsorum alum-
nos duos Pium Quintum ac Sixtum
Quintum eodem seculo, quasi duo cla-
rissima in Ecclesia sidera cerneremus.
Quin etiam (dicam apertius Pater
Beatissime id quod res est) quis tibi
summos honores dedit, quasi quasdam
rosas, quibus hic fruere; quibus ta-
men te longe florentiores ac flagratio-
res in illo beatorum concilio receptu-
rum speramus: quis inquam dedit, nisi
caeli terraeq. regina, quae ex illis sen-
tibus in sui filij capite impressis altissi-
me

me in sinum suum rosas excipit decidentibus? has tibi illa pro tua in ipsam pietate Virgo Maria eademque Dei mater obtulit beatissima. hanc ipse perpetuo quibuscumque rationibus coluisti, & nuper, amplissimo eidem ac spectatissimo templo dicato, divina te omnia beneficia ipsi potissimum accepta referre declarasti. Quare cum haec mihi venirent in mentem, dum in libellum hunc sanctissimo Rosario recitando aptissimum incido; a viro religiosissimo Chartusiano Ioanne Lanspergio scriptum, cum per commodum omnibus, qui assiduis negotiis occupati aliquo egent ad animum colligendum praesidio, prope tamen adhuc iacuisse videretur; non alienum duxi curare, ut iam tuo nomine ob eximias virtutes tuas, & amplissimas res gestas toto terrarum orbe celeberrimo excitaretur, aptiorque forma, quam antea, prodiret in lucem. ita

*enim spero fore, vt; quoniam semper
sanctissimi Rosarij societas fuit in sum-
mis Christianae pietatis habita deli-
cijs; per te quoque, quo ad eius fieri
possit, amplificetur & floreat. Vale.*

Beatitudinis Vestrae

Seruus indignus

Pomponius Brunellus.

MEDITATIO VITAE
ET PASSIONIS
IESV CHRISTI,

Ad modum sanctissimi Rosarij
descripta.

Ad vulnus dextri pedis oratio.



Mabilissime atque
dulcissime Iesu
Christe sit tibi
laus, honor, & glo
ria pro vulnere &
dolore dextri pe-
dis tui. In hoc sacrosanctum vulnus
depono atque commendo tibi om-
nia peccata mea, vitia, passiones at-
que omnem prorsus ingritudinē,
infirmi-
tatem, vilitatem atque nihi-
e-
tatem meam, obsecrans te per im-
mentam bonitatem tuam, vt omnia
hæc per gratiam tuam in me deleas,

meque purifices ac sanes. Quidquid etiam in me tibi displicet, a me tollas, quidquid tibi placet, mihi infundas: & in gratia tua ab omni peccato me perpetuo liberum facias, præmunias, dirigas atque custodias. Amen. Pater noster.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui me creasti, quiq. hæctenus me peccantem quotidie sustines, & licet ingratiſſimum etiam beneficijs foues. Da mihi quaſo, vt te creatorem meum cognoscam, cum timore & reuerentia tibi fideliter ſeruiam, perfecte obediam, & ex toto corde ſemper tibi placere ſtudeam. Aue Maria.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui nobiliſſimam virginem tibi in matrem præelegiſti, quam præfiguratam & de ſanctis parentibus ſine peccato conceptam ac natam, gratijs, virtutibus

Sanctissimi Rosarij.

9

tibus bonisque omnibus impleuisti.
Da mihi quæso, vt peccata mea vi-
litateque propriam perfecte co-
gnoscam, cum vera contritione ac
sancto odio defleam, & quidquid ti-
bi displicet, detester & fugiam.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, be-
nedico te, & gratias ago tibi, qui ama-
bilissimæ puellæ, honestissimæ, spe-
ciosissimæque virgini Mariæ, futuræ
matri tuæ inspirasti vt in templum se
tibi offerret, dedicaret, ac perpetuam
virginitatem voueret. Eia dulcissime
Iesu, da mihi mentis & corporis per-
fectissimam castitatem, cordisq. fer-
uentissimam deuotionem, simplici-
tatem, puritatem ac stabilitatem.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
virgineo Ioseph pudicissimam virgi-
nem Mariam voluisti desponsari, &

vtcum-

utrumque in integritate immaculatum conseruari. O vtinam mundum cum vniuersis vitijs & concupiscentijs superem & contemnam, & tibi ardentissimo syncerissimoque amore semper inhæream. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui dignatus es sanctissimam virginem Mariam per angelum salutare, spiritu sancto fœcundare, atque in vtero eius incarnari. Dulcissime Iesu, vtinã facias cor meum ita ab omni peccato & vitio liberum, vt tibi sit iuge ac perpetuum habitaculum.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico, te & gratias ago tibi, qui dignatus es nouem mensibus in vtero virginis gestari, & a præcurfore nec dum nato cognosci ac prophetari. Vtinam cor meum castissimo amore tui sic vulneres vt omnia mundana fasti-

Sanctissimi Rosarij 11

fastidiat, & te inhabitatorem ac possessorem indefinenter sentiat.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te & gratias ago tibi, quæ sine dolore genuit virgo inuiolata, carens hospitio & peregrina. Eia dulcissime Iesu, vtinam cor meum repleas semper gratia veræ ac perfectæ contritionis, vt tibi esse merear filius æternæ adoptionis.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui in paupertate & frigore, in prælepio positus ab angelis es laudatus, & a pastoribus adoratus. Fac vt in seruitio tuo numquam tepescam, & a laude tua numquam deficiam.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui circūcidi dignatus es ac vulnerari,
& pro

& pro consolatione nostra Iesus nominari. Vtinam per sanguinis tui effusionem merear totus purificari, & ab omni offensione ac culpa perpetuo præseruari. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe, adoro te, & gratias ago tibi, qui a tribus Magis quæsitus, adoratus & muneribus es honoratus. Eia dulcissime Iesu da mihi vt me ipsum totum semper tibi resignē ac offerā, omnes vires, ac totū ipsum, quidquid sum ac possum, omni tempore in laudem, amorem, ac beneplacitum tuum expendam.

Aue Maria.

Ad vulnus sinistri pedis oratio.

A Mabilissime atque dulcissime Iesu sit tibi laus, honor & gloria pro vulnere & dolore sinistri pedis. In hoc vulnus repono omnes negligentias meas, omnia debita, omnesque obligationes meas, rogans vt
illa

illa tu suppleas, tu me iustifices, impleas & confirmes gratia tua æterna, in qua crescā & quam numquam amittere valeam. Pater noster.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, quod in templum offerri, & cum purissima virgine matre tua legi subdi voluisti. Ah dulcissime Iesu, da mihi perfectissimam humilitatem, qua detester omnem seculi gloriam, omnem honorem fugiam, & omni homini propter te deuote me subiiciam atque obediam. Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui Herodis perseuotionem, fugam exiliumque cum matre in infantia tua pertulisti. Fac me desideranter æquanimiterque omnem aduersitatem sustinere, & in omni pressura tibi fideliter adhærere. Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te,
bene-

benedico te, & gratias ago tibi, qui in tēplo remanens, a matre quæsitus, & post triduum es inuentus. Eia dulcissime Iesu vtinā toto corde, ardentissimoque desiderio te æstuanter sitiam, indefinenter quæram, ita feliciter inueniam vt te numquam amittere valeam. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui triginta annis cum matre incognitus latuisti, & fabri filius æstimari voluisti. Vtinam gratia tua in me omnē extirpet arrogantiam, omnem occidat superbiam, vt non videri aut gloriari, sed nesciri diligam ac vilis reputari. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui propter nos in Iordane dignatus es baptizari, & a patre cælitus monstrari. Da mihi per iuges lachrymas ab omnibus peccatis & vitijs mundari,

Sanctissimi Rosarij. 15

vt tui amore desiderioque cælestis
vitæ semper totusq. merear inebria-
ri. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
in deserto abstinens, dignatus es
a diabolo tentari. Eia dulcissime Iesu
protege me gratia tua, & fac me cun-
ctas diaboli insidias euadere, om-
niaq. tentamenta in tua virtute supe-
rare. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
pro animarum salute, orationibus,
prædicationibusque continuis es fa-
tigatus. Da mihi vt honorem tuum
& animarum salutem feruenter si-
tiam, & pro his corpus meum & om-
nia desideranter impendam.

Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
nuptias tua præsentia atque miracu-
lo pri-

lo primo honorasti, cunctisque egen-
tibus ac infirmis curationum benefi-
cia erogasti. Da mihi cor pietate, cō-
passione, & omni misericordia ple-
num, quo omnibus hominibus, &
præcipue inimicis impendam perfe-
ctissimæ dilectionis beneficia & affe-
ctum. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, pro
benignissima familiaritate, quâ Ma-
riae Magdalenaë, Zechæo, Matthæo,
inulieri in adulterio deprehensæ, cæ-
terisq. pœnitentibus totus pius ac
misericors exhibuisti. Da mihi gra-
tiâ profundissimæ humilitatis, per-
fectissimæ mititatis, benignitatis &
caritatis. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
inter laudes & honores super Hieru-
salem fleuisti. Eia dulcissime Iesu, in-
funde mihi perfectæ caritatis zelū,

vt tui contemptum & irreuerentiam
vbiq; detester ac horream, pro quo-
cumq. peccato ex toto corde doleō,
cuiuscumque etiam proximi mala,
vt propria sentiam. Ave Maria.

Ad vulnus dextræ manus oratio.

AMabilissime atque dulcissime
Iesu sit tibi laus, honor & glo-
ria pro vulnere & dolore dextræ ma-
nus tuæ. In hoc vulnus repono atq;
commēdo tibi omnes actus & cona-
tus meos. Et quidquid gratia tua in
me aut per me factum est, vt tu ea cu-
stodias, sanctifices & perficias ad
laudem & gloriam nominis tui.

Pater noster.

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
Iudæis te persequentibus, & in mor-
tem tuam conspirantibus, a discipu-
lo es venditus. Ah dulcis Iesu, da mi-
hi vt & mala & bona omnia de ma-

nu tua suscipiam, inter omnia gratias
 āgam, pro singulis semper te plus di-
 ligam & ad omnes homines pacem,
 trāquillitatem cordis ac caritatem
 retineam. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe, adoro te
 benedico te, & gratias ago tibi, qui
 relicta matre Hierosolymis Pascha
 cum discipulis comedisti, & illorum
 pedes humillime lauisti. Vtinam cun-
 cta pro tui amore libenter relinquā,
 omnibus te præferam, in omnibus &
 super omnia te diligam, & me omni-
 bus in obsequium propter te gau-
 denter subijciam. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
 benedico te; & gratias ago tibi, qui
 sacramentum Eucharistiæ instituens
 discipulis tradidisti, & nobis id ipsū
 reliquisti. Eia dulcissime Iesu, accen-
 de cor meum ad esuriam huius vene-
 rabilis sacramenti, vt ardentissimo
 desiderio, castissimo affectu, humili-
 tate,

tate, reuerentia, deuotioneque synce-
rissima frequentem illud, quando,
quotiesque dignationi tuæ placue-
rit. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
ad patiendum desiderantissimus, si-
mulque tristis ac pavidus ter orādo
patri te resignasti, & in agone posi-
tus sanguinem sudasti. Ah vtinam fa-
cias, vt in omni aduersitate ac tenta-
tione ad te semper recurrā, & in te
solo confidam: me ipsum relinquā,
& tibi soli credam, offeram & resi-
gnem. *Aue Maria.*

O domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
ab hostibus captus ligabaris, blas-
phemabaris, impieque tractabaris.
Vtinam facias me a vitijs omnibus
liberum, & in tui amore captiuum:
vt mihi desideratissimum fiat despi-
ci, iniuriasque ac contumelias pati.

Meditatio

Aue Maria .

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui luctus ad Annam, patienter a seruo lapam tulisti . Da mihi vt odientes ne diligā , pro malis bona retribuā , & dulcedinis ac benignitatis affectū ad omnes effundam. Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui in domo Cayphæ iniquos testes accusantium tolerasti, & Petrum tergantem te misericorditer respiciens ad pœnitentiæ fletum reuocasti. Eia misericordissime Iesu da mihi, vt peccata mea, ingratitude quoque & negligentias meas perfecte lugeam, & ex toto corde tibi placere studeam. Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui damnatus, consputus, cæsus, velatusque alia complura indigna sustinisti.

nuisti. Utinam tui amor tantus in me
ferueat, vt odiam reputari, desiderē
vero & ex corde gaudeam nesciri,
despici ac pati. *Aue Maria.*

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
coram Pilato iniuste accusatus hu-
militer tacuisti. Ah pie Iesu pone lin-
guæ meæ verum timorem tui, quo
ab omni etiam otioso sermone absti-
neam, & in omnem humiliationem
me ipsum vltro ac desideranter offe-
ram. *Aue Maria.*

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
ab Herode despectus, ac derisoria ve-
ste es illusus, inter opprobria quoq;
subfannatus, & sic ad Pilatum redu-
ctus. Eia dulcissime Iesu, da mihi vt
de omnibus hominibus bene sentiā,
neminem iudicem aut spernam, cun-
ctos mihi præferam, & de me sem-
per vilius sentiam. *Aue Maria.*

Ad vulnus sinistrae manus oratio .

AMabilissime atque dulcissime Iesu, pro vulnere & dolore sinistrae manus tuae tibi gratias ago. In hoc vulnus offero tibi ac iterum commendo omnia dona, beneficia, gratias & quidquid mihi ingrato ac misero contulisti. Rogo autem tuam misericordiam per singulas guttas sanguineas, quae inde fluxerunt, ut ea omnia mihi conserues, confirmes, perficias augeasque ad gloriam nominis tui: ut in dies in me crescant humilitas & caritas secundum beneplacitum tuum. Pater noster.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui propter me dignatus es nudari, ad columnam ligari, toto corpore flagellari, vulnerari ac cruentari. Da mihi nunc flagella tua tam patienter tamque desiderater sustinere, ut tuis poen
nis

nis ac meritis purgatus, post huius vi-
tæ egressum ilico merear tecum gau-
dere: vbi tibi placeam, te laudem, te
diligam in æternum. *Aue Maria.*

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
coronam spineã vertici tuo impres-
sam, subsannationesq. & illusiones,
alapas quoque ac sputa propter me
pertulisti. Dulcis Iesu imprime cordi
meo iugem passionis tuæ memoriã,
quæ mentem meam indefinenter cõ-
pungat, vulneret, atque totam lique-
faciens in tui amorem absorbeat.

Aue Maria.

O Domine Iesu Christe, adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui li-
cet totus miserabilis, vulneribus &
doloribus plenus, productus ac po-
pulo es monstratus: inuidia tamen
Iudæorum clamans postulauit te cru-
cifigi, & Barrabam vitæ donari. Ah

& omnem gloriæ appetitum, inuidiam, cunctaque vitia in me mortifica & extingue: & fac sim vere humilis ac mitis corde. O passio nobilissima saluatoris mei, vulnera animam meam. O preciosissima vulnera amatoris mei, inebriate mentem meam.

Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te & gratias ago tibi, qui innocenter pro me ante tribunal stans, passus es te ad mortem damnari, & in gaudium hostibus fieri. Per hanc caritatem tuam obsecro te, Deus meus, da mihi gratiam numquam obloquendi, numquam proximum iudicandi, damnandi aut spernendi: & ad hæc etiam alijs numquam auscultandi aut consentiendi.

Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, & gratias ago tibi pro singulis doloribus atque gemitibus, quando inter
multa

in multa opprobria & verbera baiulās
crucem tuam, in oculis matris tuæ
sub onere corruisti. Da mihi mitissi-
me Iesu, crucem propriæ abnegatio-
nis & mortificationis feruentissima
deuotione amplecti, & vestigia virtu-
tum tuarum caritate perfectissima
imitari. Ave Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, cuius
omnia membra extractione vestium
nudabantur, doloresque ac vulnera
renouabantur. Utinam facias cor
meum ab omni inuiti cogitatione,
ab omni impura affectione, ab omni
bus denique visibilium rerum for-
mis perfecte nudari: vt iugi visitatio-
nis tuæ præsentia merear in dies re-
nouari, tuique amore feruentissimo

uis affixus, non habens speciem neque decorem: sed sicut leprosus & a Deo percussus. Da mihi vt nihil sim in oculis meis, sed me ipsum semper despiciam, ad maiora & meliora extendam, & omnes vires animæ & corporis mei in amorem & beneplacitū tuum expendam. Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui inter latrones positus, exprobrantiū blasphemias æquanimiter pertulisti & pro inimicis orans, latroni pœnitenti paradisum promisisti. Da mihi perfectissime omnia vitia in me mortificare, omnia aduersa mitissime tolerare, & æstuantissimo desiderio ad te verum paradisum cōtinue aspirare. Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te & gratias ago tibi pro dolore, quo cor tuum scindebatur, quando matrem tuam fidelissimam

con-

condolentissimamque astantem discipulo tuo Ioanni commédabas. Eia dulcissime Iesu da mihi in eius veneratione & amore sic affici & occupari, vt ab ea tamquam a matre merear semper protegi, foueri & gubernari.

Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te & gratias ago tibi, qui inter acerbissimos pœnarum cruciatus clamabas te derelictum, quando etiam æstuantissima siti tortus non habuisti aquæ guttam, sed fel & acetum. Ah dulcissime Iesu, fac vt in omni tentatione ac pressura ad te confugiam, te sitiam & esuriam, ac mundana omnia fastidiam. Aue Maria.

Ad vulnus cordis Iesu oratio.

cor meum, omnes potētias, vires, intentiones & affectiones meas, rogās te per effusionem sanguinis tui & aquæ, vt me tu solus possideas & regas, igneque vehementissimi amoris tui cōsumas, absorbeas & tibi vnās. Amen. Pater noster.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te & gratias ago tibi, pro innocentissima amarissimaque morte tua, videlicet pro dolorosa separatione sanctissimæ animæ tuæ a nobilissimo corpore tuo. Eia Deus meus, Saluator meus, spes mea & corona mea, da mihi vt vitijs & concupiscētijs omnibus, omni que priuato ac inordinato amori perfecte moriar, tibi vero soli viuam, & inauertibiliter inhæream. Ave Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te & gratias ago tibi, pro amoroso vulnere illo, quo cor tuum transfixum, sanguinem nobis propinauit

navit & aquam . Eia , vulnera quæso
cor meum læcea amoris tui , vt aliud
neque cogitem neque desiderem ,
quam te dominum Deum meū pro
me crucifixū . Nihil mihi placeat , ni-
hil me afficiat , nisi tu Deus meus ,
gaudium meū , vita mea . *Aue Maria .*

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi , pro
flebili depositione corporis tui de
cruce, & pro lamentabili planctu ma-
tris tuæ & amicorum tuorum . *O* vti-
nam passionis tuæ memoria omnes
sensus meos repleat & me totum ab-
sorbeat, vt aliud non videam , aliud
non sentiam, nec aliud sciam, quā te
dominum meum pro me crucifixum
& mortuum . *Aue Maria .*

Meditatio

0
elias, per amorem tibi vnias, & ve-
ut insensibilem ac stupidum ad om-
nia, quæ a te sunt aliena, me reddas.

Aue Maria

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
dignatus es ad inferna descēdere &
captiuos patres liberare. Eia dulcis-
sime Iesu, descendat nunc quoque
passionis & sanguinis tui virtus in
purgatorium, & det animabus cun-
ctis refrigerium. Aue Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
resurgēs a morte, primo matri, dein-
de Magdalena & Apostolis glorio-
sus apparuisti. O dulcissime Iesu, da
mihi vitijs, passionibus ac inordina-
tis moribus omnibus perfectē mori,
tibi viuere, tibi placere & sola cale-
stia sapere, & desiderare. Aue Maria.

O Domine Iesu Christe, adoro te,
benedico te & gratias ago tibi, qui
iubi-

iubilantibus Angelis & patribus comitantibus ascendisti in cælum. Utinam semper mens mea tui amore lægueat, mundana vniuersa fastidiat, te solum ardentem esuriat ac sitiatur, nihil me delectet, nihil me lætificet, nisi tu domine Deus meus. *Aue Maria.*

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui spiritum sanctum dedisti, & discipulos tuos ad mundi conuersionem misisti. Da mihi simplicissimam puritatem cordis, iugemque stabilitatem mentis. Da mihi ardentissimam, fidelissimam perpetuamque caritatem, vt spiritus sanctus me impleat, regat ac possideat, vt vberioribus donis gratiæ suæ dignum me afficiat.

Aue Maria

32 *Meditatio Sanctiss. Rosarij.*

miserericordissimamque nobis dona-
sti. Da mihi per eius merita tuã gra-
tiam, & in omni bono perseueran-
tiam, vt in seruitio tuo nũquam de-
ficiam, & per indiscretionem num-
quam excedam. Ave Maria.

O Domine Iesu Christe adoro te,
benedico te, & gratias ago tibi, qui
iudex es venturus, & præmium red-
diturus. Eia misericordissime Iesu da
mihi omnem vitam meam secundũ
beneplacitum tuum ita consumma-
re, vt anima mea de corpore egre-
diens immediate ad te creatorem
suum tui amantissima redeat,
vbi sine fine in gloria tua
cum omnibus sanctis
te collaudet ac
benedicat.

Amen.

